



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Tractatus De Necessitate Et Modo Ministrandi Sacramenta Tempore pestis

Chapeauville, Jean

Mogvntiæ, 1612

49. An tentent Deu[m] qui peste laborantib. sacramenta ministra[n]t cum omnibus cæremoniis precibus & solemnitatibus?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41077**

## QVÆSTIO XLIX.

*An tentent Deum, qui peste laborantibus sacramenta ministrant cum omnibus ceremoniis precibus & solemnitatibus.*

*Quæstionis explicatio.*

**O**ccasione extremorum, de quibus mentionem faciunt duæ præcedentes quæstiones, natæ fuerunt illo calamitoso anno 79. inter pastores plures quæstiones, & imprimis, vtrum, qui proluxa illa recitatione precum, psalmorum, exorcismorum, Catechismi, vñctionum, & aliarum ceremoniarum, quæ in quibusdam sacramentis adhibentur, se exponit periculo vitæ, moram trahendo apud peste infectum, tentet Deum.

*Responsio.*

**N**on tentat quia secundum communem Theologorum is dicitur Deum tentare, qui ex dubitatione quam habet de aliqua eius perfectione, v. g. de eius prouidentia, bonitate, &c. aliquid facit ad experiendū, vtrum habeat illam nec ne. In eo aut qui ex religione, qua ducitur erga dignitatem, & præstantiam sacramentorum, vult illa solemniter, & cum apparatu ceremoniarū ministrare, etiam cum vitæ periculo, nihil

rale



tale reperitur, quin potius omnia sunt contraria: nam neque dubitatio vlla apparet, & caeremoniarum apparatus, qui adhibetur, non fit ad experiendum: An Deus habeat illam vel illam perfectionem: sed ad honorem & reuerentiam sacramentorum, quod ad virtutem religionis pertinere supra ostendimus. Cui tentatio Dei opponitur, vt communiter omnes docent.

Dices: Non solum dicitur tētare Deum, qui expresse & formaliter dubitat de aliqua illius perfectione, & vult propter illam dubitationem sumere experimentum, sed etiam qui hoc tacite agit, puta si neglectis mediis à diuina prouidentia constitutis aliquid agat expectans effectum à Deo. Sed hoc videtur iste agere, expectans vitæ conseruationem absque aliqua sui custodia, ergo, &c.

ꝛ. Negando minorem, neque enim hoc agit vt experiatur, an Deus illi vitam custodiet, imo illam vt præsupponimus contemnit propter virtutem religionis, quod licitum est & laudabile, vt ante ostendimus.